

harum omnium adeo vividam, solidam, completan-
que peritiam in Te admiratus sum, ut dixerim ve-
re apparere, Te cathedram non modo rexisse, sed
& regere. Et quum exteriora negocia adeo animum
tuum occupatum retineant, ut vix ocium habeas le-
gendi, quæ ad præsens tuum pertinent ministerium;
theologica tamen volumina ea assiduitate evolvebas,
ut vix ita faceret, qui sacram illam scientiam pro-
munere haberet in scholis, & circulis, docere, ac
profiteri. Quod quidem ex longo usu, ac peculiari
consuetudine, in literarum palæstris provenire nemo
ambigit; immo etiam fateri omnes oportet, animum
tuum factum ad omnia, non ideo amittere quæ pos-
sedisti, quia modo exerces quæ non curabas. Proin-
de absque mendacio dicimus, Te ita scientias omnes
habere, ut una alteri det locum in mente tua; ut
altera non impedit quamlibet in ore tuo; ut tan-
dem omnes, prout res exigit, prodeant alternatim
ex calamo tuo, quo nihil acutius, ac rectius, ad res
dirimendas, si difficiles, & ad easdem, si dissonæ,
componendas.

Hinc, quod omnes sane demirantur, in rebus ge-
rendis ea polles solertia, ea fidelitate, ea constantia,
ut AUGUSTISSIMUS DOMINUS NOSTER haud
valeat majorem desiderare, nosque subditi amantio-
rem colere nequeamus. Quis in Romana aula, quæ
omnium uti est princeps, ita est magistra, adeo est
peregrinus, ut Te non prædicet hominem, in re-
gerenda vividum, acrem, atque vehementem? Quis
in IMPERATORIS CAROLI negocio procurando
Te navum, sedulum, impigrum, non dicit? Quis
in Germaniæ, cuius es Comprotector, juribus obser-
vandis, Te non laudat summæ curæ, perspicacis in-
genii, studii infaticabilis, horarum denique, ac mo-
mentorum, observantissimum? Et quod pluris est mu-

nus